



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dissertationes Juridico-Theologicæ De Jure, & Justitia

Karchne, Simon

Augustæ Vindelicorum ; [Graz], 1714

§. VII. An, ut contractus conditionatus sub conditione futura hâc purificatâ
siat absolutus, opus sit novo consensu.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40013

retrahit directè à Matrimonio, unde dicta conditio directè non æquivaleret huic, si non nupserit, lego mille, quæ imposita Virgini per n. 222. habetur pro non adjecta, sed directè intendit allicere ad Religionem spe legati, jus autem reprobatur solas Conditiones directè retrahentes à nuptijs. Subdit Sanch. n. 17. contra alios probabilius legatum consequi, etsi

ingressus postea non perseveret in Religione, dummodò animo perseverandi assumperit Religionem; quia secundum Communem loquendi usum censetur jam impleta conditio, sicut satisfacit voto ingrediendi fide bonâ ingressus, sed rationally postea deserens, quia ingressus debet esse conformis juri, nempe cum libertate exeundi iusta de causa.



§. V.

Plurima pacta repugnantia bonis moribus expenduntur.

PROponuntur illa, & solvuntur à n. 476.

§. VI.

De juramento, reprobatis pactis adjecto, ejusque effectus; ubi an pacta a jure civili nulla juramento confirmantur?

DE quo infra à num. 490.

§. VII.

An ut contractus conditionatus sub conditione futura, hæc purificatâ fiat absolutus, opus sit novo consensu.

225. **R**atio affirmandi, quia E. g. matrimonium contractum sub conditione contingenter futura ante hujus eventum non est perfectum, eo quod nondum sit facta mutua corporum traditio, sed faciendæ promissio, quia primo traduntur mutuo corpora post eventum conditionis, sed hoc fieri nequit sine novo

consensu. Confirmatur: matrimonium conditionatum post eventum conditionis completur in esse signi sensibilis gratiam sensibilibiter significantis, quod implicat absque novo expresso externo consensu, quia sine hoc nullum adest signum novum sensibile præsens, præteritum non sufficit; nam hoc situm est in verbis præteritis

tis conditionalibus, quibus mutuo significabatur conditionata traditio, & acceptatio corporum, hæc autem sunt insufficientia: quia jis non significatur consensus absolutus mutuo tradens corpus suum, & acceptans alterius absolutè. Idem est proportionatè de alijs contractibus, quorum essentia traditionem requirit. Ob hæc affirmativa est communis inter veteres Theologos approbata à Pontio L. 3. de matrim. c. 13. & aliis apud Sanch. L. 5. de matrim. Disp. 8.

Resp. Probabilis negativè cum cit. Sanch. quia contractus conditionati, aut sunt de genere eorum, quorum essentia perficitur solo consensu, ut emptio, &c. aut traditione ut matrimonium, &c. sed utriusque generis possunt perfici, seu transire de conditionatis in absolutos solius conditionis purificatione sine novo consensu. Prior pars constat ex L. Hæc venditio 7. ff. de contrahenda emptione, ubi: *Conditionales autem venditiones tunc perficiuntur, cum impleta fuerit conditio*: hinc fit argumentum ad alios similes contractus.

Posterior pars etiam probatur exemplo matrimonij per Procuratorem contracti, quod ex conditionato transit in absolutum absque novo Principalis consensu: hic eo tempore, quo Procurator contrahit, fortè dormit, aut nihil cogitat: quod autem hoc casu matrimonium transeat ex conditionato in absolutum, constat, quia Principalis consentit ad acceptandam sponsam in suam, si Procurator consentit.

Confirmatur utraque pars: si consensus præteritus conditionatus moraliter est præsens, dum purificatur conditio, fit absolutus, & sufficienter expressus,

sed moraliter est præsens, ergo ex conditionato fit moraliter absolutus: Hinc

Resp. Ad argumentum Adversariorum: matrimonium ante eventum conditionis non esse perfectum imperfectione se tenente in defectu conditionis, secus in defectu voluntatis, ex parte hujus nihil desideratur, nisi purificatio conditionis, hæc absolutè positâ ex conditionata fit absoluta traditio, ac acceptatio corporum, unde consensus ille præteritus conditionatè consentiens in matrimonium facit hunc sensum positâ tali conditione E. g. *cras accipe corpus meum, quod nunc pro tunc tibi trado, qui consensus physicè præteritus moraliter perseverat in non revocatione, & per eventum conditionis ex conditionato fit absolutus, id est existit moraliter absolutè, fitque moraliter actualis traditio corporum, qualem sufficienter constat à pari, dum Petrus donat Paulo centum aureos, dicens, vade & eos tolle de mea cista, donatio perficitur primum, dum ex cista tolluntur, quo casu eos donans non tradit physicè, nec consensus est tunc physicè sed moraliter perseverans.*

Ex his patet etiam Responso ad Confirmationem nempe consensum conditionatum sensibilem physicè præteritum fieri purificatâ conditione absolutè existentem existentia morali sensibili, nempe in verbis sensibilibus, quæ ex conditionatis transeunt in sensibilem absolutam existentiam moralem.

Hæc omnia procedunt, licet contrahentes non sciant impletam conditionem Coningk. de Sacram. Disput. 29. dub. 1. quia notitia impletæ conditionis non perficit contractum, sed solum indicat esse aliunde perfectum, nimirum

per transitum ex statu conditionato ad absolutum quem notitia non facit, ut liquet in matrimonio contracto per Procuratorem ignorante Principali *Cap. fin. de procurat. in 6.* & ita tradit Sanch. n. 6.

Quod si ante eventum conditionis alter consensum revocet, judico omnino matrimonium tale non transire in absolutum sine novo utriusque consensu, quia matrimonium contrahitur mutuo moraliter simultaneo consensu utriusque contrahentis *per cit. Cap. fin.* proinde absolutus unius consensus supponit absolutum consensum alterius, qui consensus deficit, si pendente conditione sit revocatus, imo id ipsum sentio de reliquis contracti-

bus conditionatis; quia nemo prudens supponitur aliter consentire in contractum, nisi secundum naturam contractus: sed hujus natura est reciprocos consensus, ergo nemo prudens consentit sine reciproco consensu, sed sub conditione, si alter consentit, atqui non consentit, dum fingit consensum, aut pendente conditione revocat habitum, aut laborat impedimento irritante contractum. Ex quibus sequitur, quod prateritus consensus alterius non revocantis, aut non fingentis, aut ignorantis impedimentum non perseveret moraliter; dum iste suum revocat, aut fingit, aut habet impedimentum irritans.



§. VIII.

An contractus ex errore, aut dolo initus valeat transferre Dominium,

226. **E**rroris nomine venit iudicium falsum de re contrahenda, si det causam contractui, seu causet voluntatem contrahendi, dicitur error antecedens, incidens vero in contractum, seu concomitans illum, quando contractus poneretur, licet abesset error. Contractus prædicata sunt substantialia, aut accidentalia, substantialia sunt, quæ conveniunt actui spectato præcisè secundum suum principale objectum, talia enim non supponunt actum in esse moris, sed constituunt, quæ verò actum supponunt am constitutum in genere moris, dicuntur accidentalia, quia actui tum in esse

physico, seu naturæ, tum in esse morali accidunt v. g. in contractu matrimoniali cum Caja divite, vel Nabili, vel Virgine, &c. prædicatum actus quatenus volentis Cajam in uxorem est substantia, quia non supponit actum in aliqua specie morali constitutum, sed eam constituit: prædicatum actus ut volentis qualitatem divitiarum, vel Nobilitatis, &c. est accidens præsupponens actum in sua specie spectante ad mores jam perfectum, nisi contrahens suam primariam voluntatem restringeret ad aliquam qualitatem E. g. ad divitias, hoc est, intenderet non contrahere, nisi sit dives, tunc divitiæ fo-

rent